



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXI. Non potest.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

wordata, si intra tres menses post vacationem per mortem, in loco beneficij cognitam, provisio beneficij fiat quidem à Papa, sed invalidè, ordinarius postea conferre poterit: sedque etiam idcirco, quia clausula concordatorum, ut nisi intra tres menses, auctoritate Apostolicâ provisum fuerit, ordinarius liberè disponere possit, favorabilis censeri debet, quippe in Ecclesiarum utilitatem adjecta, ne beneficia diu vacare contingat, & ideo intelligi debet de provisione valida.

Porrò si collatio Papæ effectum consecuta sit, videlicet per acceptationem provisum, tamen is ante adeptam possessionem moriatur, certum esse debet, quòd beneficium vacet per mortem hujus provisum, adèd ut si ea contingat in mense ordinarij, is ad collationem procedere possit, prout etiam *Tolesanus cit. loco significat.*

Notandum secundò. Si quis beneficio renunciet ex falsa causâ per probabilem ignorantiam, quia bonâ fide existimat collationem alterius beneficij validam fuisse, redire potest ad beneficium resignatum. Ita *Dominic. hic in principio, Franc. n. 3.* Ratio est, quia resignatio censetur fieri sub tacita conditione, si posterioris beneficij collatio valeat, prius habitum resigno; deficiente autem conditione, deficit actus, prout videre est apud *Parisium lib. 1. q. 3. n. 33.*

## CAPITULUM XXI.

## Non potest

## PARAPHRASIS.

Si Clericus dispensationem impetret super beneficiorum pluralitate, & vel modicum beneficium retineat, dispensatio ei non prodest: deinde si Pontifex alicui indulgeat, ut duo beneficia curata, canonicè ipsi collata, recipere, ac simul retinere possit, intelligi id debet de duobus, quæ proximè post acceptum indultum ipsi collata fuerint, ita ut ad aliud (si fortè unum dimiserit) extendi ne-

queat. Denique si tibi à Sede Apostolica beneficium conferatur, cum clausulâ non obstante, quòd antea beneficium habeas, non ideo tecum super beneficiorum pluralitate, seu ut duo beneficia simul retinere possis, dispensatum censetur, quandoquidem expressio illa, seu adjecta clausula, id solum operatur, ut impetratio beneficij secundi subreptitia censeri non debeat.

## SUMMARIUM.

1. *Qualitas tacita, cujus expressionem jura, vel stylus curia, necessario requirunt, vitiat gratiam.*
2. *Et si cum aliquo dispenseretur, ut possit duo beneficia curata simul retinere, intelligi debet dispensatio talis de duobus proximè recipiendis.*
3. *Gratia Principis in dubio ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat.*

Notandum primò. Taciturnitas qualitatis, cujus expressionem jura, vel stylus curiae necessario requirunt, dispensationem, & quamvis gratiam vitiat, tamen, eâ qualitate etiam expressâ, Papa gratiam fecisset. Ita ex communi *Dominic. hic. Franc. n. 2.* & docui *lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 18.* propterea, quia expressio talis qualitatis est quasi forma legitimæ postulationis, quare non valet dispensatio impetrata super beneficiorum pluralitate, nisi omnia etiam modica, quæ habentur beneficia, narrata sint, sicuti hic dicitur in principio; neque valet impetratio beneficij secundi, nisi impetrans mentionem faciat, de beneficio etiam modico, quod obtinet, vel ad quod jus habet, sicuti dicitur in fine *cap. & in c. si motu 23. hoc tit.*

Addendum insuper primò. Quòd etiam pensionis mentio facienda sit, si in titulum beneficij designata fuerit, uti videre est apud *Cokier in regul. cancellaria 61. Garziam p. 1. c. 5. n. 81.*

Adden-

Addendum secundò. Quòd etiam qualitas, videlicet si beneficium, quod habetur, curatum sit, necessariò exprimi debet, eò quòd difficilior esse soleat impetratio alterius, vel dispensatio super pluralitate, sicuti suprà dixi in *c. is cui* 19. *hoc lib. & tit.* & sumitur ex *Clement. 1. juncta Gloss. V. vel alteri. hoc tit.* Sed & mentio fieri debet de beneficio injustè accepto, & possessò, ne melioris conditionis sit, qui injustè possidet, quàm is, qui justè, juxta *c. eum qui* 18. *juncta Gl. V. obtinebat. hoc tit.* Denique stylus curiæ requirit, ut etiam reddituum, seu beneficij valor exprimat, teste *Franco hic n. 3. Garzia p. 1. c. 5. n. 59. Cokier in cit. regul. 61.* Veruntamen in Germania & Gallia verus valor exprimi non solet, sed de 24. ducatis secundum communem estimationem mentio fieri, prout videre est apud *Rebuff. in praxi. tit. de formanova provisionis. V. cujus & illi. Georgium de Branden in concordatis notabili 2.* Quòd verò attinet ad valorem beneficiorum prius obtentorum, cum exprimi necesse jam non est, cum Pontifex pro expressò habere soleat, teste eodem *Rebuffo, & Alphonso in cit. Reg. 61. post Gl. in cit. Clement. 1. V. vel alteri.*

Addendum tertio. In unione beneficij unius cum altero beneficio, quæ sit per extinctionem beneficij uniti, utriusque verus valor exprimi debet, ut appareat Pontifici, quanta sit uniendo necessitas, quia, cum talis unio odiosa sit, idèò fieri debet præmissâ cognitione causæ, & insuper vocatis ijs, quorum interest; quòd ipsum etiam in confirmationibus unionum fieri debet.

Notandum secundò. Dispensatio alicui facta, ut possit duo beneficia curata recipere, & simul retinere, intelligi debet de duobus proximè recipiendis, adeò, ut si unum dimiserit, tertium accipere non possit; confert etiam huc *c. si Clericus 11. hoc tit. & lib.* Porrò hoc ipso, quòd super pluralitate beneficiorum continuam personalem residentiam, adeòque incompatibilem residentiam postulantium, dis-

pensatum sit, censerì etiam debet dispensatum super ipsa residentia, secundum *Gl. in c. quia in tantum 5. v. plures. hoc tit. Abbatem ibidem n. 4.* ubi notanter ait, licet dispensatio sit stricti juris, & interpretationis, extenditur tamen ad necessariò connexa, seu consecutiva; quam ob rem dispensatum in uno eorum beneficiorum residere satis est, sed in quo? *Glossa hic, & Abb cit n. 4.* ait: in arbitrio beneficij positum esse, num in hoc, vel alio residere, alterum verò per Vicarium regere velit: quòd verum esse rectè monet *hic Dominic. §. illud, Franc. ibidem n. 5.* si Ecclesiæ æquales sunt, alioquin in digniore personaliter deservire debet. *argum. c. extirpanda 30. §. qui verò hoc tit.* Id verò rectè monet *Gl. hic V. retinere,* tamen in dispensatione super pluralitate adjecta sit clausula, dummodo in beneficio, in quo non residet, faciat per Vicarium deserviri, idque postea non impletur, non idèò tamen collationem seu provisionem corrumpere, cum enim absolute facta sit, idèòque clausula ea propriè non habuerit vim conditionis, sed potius cujusdam admonitionis, comminationis, ac veluti modi observandi, quo non servato provifus post monitionem privari posset, juxta *c. relatum 4. de Clericis non residentib.*

Notandum tertio. In dubio gratia Principis ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat, propterea, quòd dispensationes sint odiosæ *argum. c. 1. & 2. de filijs Presbyterorum in 6. & notat Franc. hic in §. cum verò. n. 1.* Quam ob rem clausula adjecta in collatione beneficij, non obstante, quòd jam beneficium habeat, ita intelligi debet, ut dispensationem super pluralitate non operetur, cum nihilominus clausula illa effectum habere possit, videlicet, ut subreptionem excludat; item ut provifus prius habitum beneficium ad vitandam pluralitatem, vel incompatibilitatem liberè dimittere possit &c. prout videre licet apud *Franc. hic n. 2.*